



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Cap. X. De Destructione terrae Culmensis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

berg, & Comitibus de Lunge, de Atinge, de Nivenar, de Wallrode, Hanavo, de Wirtenberg, de Stovvenborg, & de Valkenstein, & Domini de Kerpin, de Gera, de Berga, de Rotenstein, de Damis, de Kotebus, de Misna & Burgravio de Dhona, & cum multis Nobilibus Regni Almanniæ & Angliæ, intravit in terram Prussia. Cum his omnibus Frater Wernerus & Fratres CC. & 18. M. pugnatorum præter pedites ivit versus Lethoviam, & in vigilia Purificationis B. Mariæ obsedit Castrum Mederage, & post multas impugnationes subdiderunt se fidei Christianæ & 6. M. hominum dicti castri sunt in nomine Domini baptizati, sed non longe post apostataverunt.

CAP. X.

De

Destructione terræ Culmensis.

Medio tempore, quo hæc agerentur, & eodem die (a) Lotheco Rex Poloniæ malitiam, quamdiu concepit, adimplevit, & cum 6. Millibus pugnatorum dolosè non obstantibus treugis, quas cum Rege Bohemiæ & Magistro fecerat, intravit terram Colmensem & V. diebus & V. noctibus vastavit incendio & rapinâ. Ecce stupendum & execrabile nefas. Iste Rex antea fuit Dux, & noviter à Sede Apostolica in Regem constitutus, ut esset S. Ecclesiæ, fidei & fidelium eò diligentior & fidelior & magis strenuus propugnator. Nunc autem non solum non defendit cœtum fidelium, sed eos, qui defendunt, crudeliter impugnat. Et quod deterius est, cum Rex Bohemiæ, & Magister & exercitus eorum essent in actu impugnandi infideles & vindicandi injuriam Domini Christi crucifixi, ipse malitiam, quam supra diximus, perpetravit.

ANI-

ANIMADVERSIO.

- (a) *Causam hujus belli subtrahet. Illa verò non fuit alia, quam quod Cruciferi Pomeraniam sibi vindicabant, & eam ob causam Joannem Regem Bohemiam contra Polonos precibus excitaverant. Joannes jus in Poloniam (post decessum Venceslai Regis Bohemiam, qui etiam in Regem Poloniae Gnesnæ erat coronatus) præterdens, avidè occasione hac arreptâ, conjunctisque cum Ordine Teutonico copiis Dobrinensem arcem cepit, Vladislaviam exussit, Cechocinensè territorium, quod in ditione erat Episcopi, occupavit: Pomeraniam denique, in quam tamen ipsi nihil juris erat, Cruciferis dono dedit. Hanc injuriam Vladislaus Loëticus ulturus, Culmensè Provinciam ferro & igni vastavit. Treuga illa, quæ vocat, sive induciæ, jam post devastatam Culmensè Provinciam sunt constitutæ, ut interea de Pomerania, Carolo Hungarorum & Joanne Bohemorum Regibus arbitris, inter Polonos & Cruciferos transigeretur. Vid. Martinus Cromerus, & Salomon Neugeb. in Vladislao Loëtico ad dyet. annum. Conf. & ea quæ supra diximus ad Dnsburgii part. 3. cap.*

CAP. XI.

De

Prænosticatione Belli.

Anno Dn. MCCCXXIX. ultima die mensis Januarii in ipsa nocte quæ præcessit vigiliam Purificationis B. Mariæ, quidam Pruthenus vigil in castro Girdaviæ vigilans, audivit tonitrua & coruscationes, & posthæc vidit in aëre innumeros viros enses evaginatos vibrare; deindè vidit lucem maximam in quatuor plagis terræ, & in medio lucis crucem fulgidam, cujus summum brachium ad Occidentem; post hoc brachium dextrum ad Meridiem; & sinistrum ad Aquilonem. Tandem venit turbo magnus, qui involvens hæc omnia, secumduxit versus Orientem in Lethoviam. Et tum disparuerunt omnia.

CAP.